Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26345
Copyright: Admont, Benediktinerstift

a novissimo incipit administrari. et ad hoc scilla sic et ad holera sonat. pitantia vero a primo et de hac ebdomadarii coquine nichil omnino se ex debito intromittunt. nisi quod in fine prandii fragmenta eius colligunt. sed cellerarius quibus ad hoc invenerit cum his eam administrat. Quicquid est generale hoc apponunt. nisi pisces sint. Quos cellerarius ipse singulis eis suggerentibus apponit adiutore suo ex alia parte simul eos apponente. Quibus appositis. cellerarius scillam pulsabit. Si autem est alius generis. ad hoc porrectoris scilla sonat. Quod si tardius solito administratur. porrector scillam ante se pulsare non moratur. Poma vero cruda aut herbe ad prandium si bis reficiunt numquam aliciu dantur in refectorium. Scutellas colligunt eas solas in quibus fabe holeraque sunt administrata. Propter quod et aqua unius integri remanet in coquina. qua ita recens oblatas abluat eadem aqua quod diluculo sunt lavate. ne si comestorum reliquie induruerint maior fiat abluendi difficultas. Eadem diligentia est et de caldariis. ut et ipsa lavata sint. si non ante pulsatum quam servitorum refectio finiatur. focus autem caute cooperitur. ut in crastinum vivus possit reperiri. Post vesperos iterum fabis iam lavatis pro gratiarum actione dicunt pro statu versum Benedictus es domine deus quod ad eundem modum quod altum in matutino dixerunt. Sed si voluerint duos dies se expedire possunt de lavatione scutellarum. id est in iiii. feria et vi. in quibus per consuetudinem cellerarii non possunt ciradicere ut eas in cellarium diluculo portatas non co[illegible] mendet famulis suis propensiore studio lavandas. Veniente sabbato post novi vel post vesperos scopant coquinam. omnesque sordes que fiebant per occasionem cinerum vel lignorum foris ostium accumulant. ut inde per famulos cellerarii efferantur. Calefaciunt aquam ad mandatum. et eo die dicitur versus Benedictus es domine deus. usque dum